

69.

Celeberrimo viro

D. D. Car: Linnæo

ups: hort. præfect: et botanic. profess:

acad: upsal: stockolm Lond. monsp: &c. soc.

S. p. D.

Joan. Bap. Aymen.

Ex *Jussieo* tuam, Vir clarissime, hodie accepi Epistolam¹, jn qua *Maneti* et *Halleri*, etsi a parente ad jnscriptionem datam, missa, te non recepisse video. quod sane stupendum. quæras vellim a D. Bæck, quid facta fuerint.

Promissis meis semper sto. qua vice Burdigalam ibo, numerosissimas plantas americanas correspondenti meo deponam, ut per navem suecicam ad te transferantur. Nonne, V. J., oblitus es doni pretiosi summe mihi nempe plantarum Laponicarum promissi memor sis, vellim, et ad jnscriptionem a longo tempore tibi datam mittas.

hac jn regione crescit *asphodelus minimus* class. hist: app: 1. 258, quæ pulcherima certe *antherici* species.

polygonum lentifolium &c. herniariæ species est. *Sapotæ* perianthium est pentaphyllum. foliol. ovatis persistentib: corol: petala quinque oblonga erecta.

Fuschsiæ [!] calix, corolla, pistillum sunt, ut jn gen: tuo 1009². Daturæ &c. afinis est.

Hamellie flores mitto. non jn specimine sicco genus condidi at jn ipsomet flore viridi. Colitur enim hæc planta in horto regio parisiensi ut et *dayenia*, *Moneria*, de quibus nihil mihi dixisti, nec de *acoma*. *hamellia* certe loniceræ est afinis sed difert, ut videbis.

Etsi juraveris te nullum assumpturum genus, nisi videres. En aliud novum. cujus tamen specimen ad te mittere nequeo, qui [!] unicum posideo. at facillime a *jussieo* habebis. hæc enim planta a 15 annis colitur, floret et multiplicatur jn horto Regio parisino et demonstratur sub nomine sequenti: *Topiaria americana frutescens* D. *Jussieu*. Dum hanc plantam examinarem ecce quod venit amicissimus meus D. *De faugere* Botanices cultor eximius, qui cum novum characterem reperiisset, jllico *topiariæ* nomen meum jmposuit, unde,